



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

B. Alberti Doctoris Magni ex Ordine Prædicatorum Episcopi Ratisponensis De Adhærendo Deo Libellvs

**Johannes <de Castello>
Albertus <Magnus>**

Antverpiae, 1621

Cap. XXXI. De exemplo quod retulit Albertus Fratribus causâ ædificationis:
& quòd in omni necessitate inuocandum sit diuinum auxilium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44148

234 B. ALBERTI MAGNI
contra VVilhelmum. hæc Magister Ia-
cobus præfatus in dicta sua Chronica.

CAPVT XXXI.

*De exemplo quod retulit Albertus
Fratribus causâ edificationis: &
quòd in omni necessitate inuocan-
dum sit diuinum auxilium.*

SED certè congruum valdè fuit vt in
Alberti labiis esset diffusa gratia
specialis, eò quòd ipse in matre gratiæ
Genitricis Dei singularissimam, vt ipse-
met refert in Laudibus Virginis, habe-
bat: vnde non tantùm doctrina & suo
exemplo nos admonet in Deum & Vir-
ginem gloriosam habere confidentiam
in omni euentu, verùm & aliorum Fra-
trum exemplo nos instruit in huiusmo-
di, ne quisquam diffidat de patrocinio,
si orationi institerit firma confidentia.
Refert ergo nobis Pater hic venerabilis
Albertus in Vitis Fratrum Prædicato-
rum, quarta Parte, cap. De consolatio-
nibus Fratrum, quòd cùm ipse Prior
Prouincialis Teutoniæ esset receptus,
fuit quidã Nouitius insufficiens scien-
tia

tia & ætate, licet suppleret deuotio & alia bona quod deerat illi. Hic cum Fratres ei comminarentur ludo, quòd Prouincialis eum expelleret de Ordine Prædicatorum; ipse quia hoc ultra modum timeret, contigit vt in nocte Purificationis verba illa Simeonis attenderet, quæ Ambrosius in Homilia ponit, scilicet, *Putas videbo? putas durabo? putasne hinc me inueniet? putas isti oculi videbunt per quem oculi cordis reuelabuntur?* vnde miro modo affectus, post Matutinas se ad orationem prosternit; & totus resolutus in lacrymis, illa verba retorquere cœpit ad se, dicens: Domine Iesu, putasne te vniquam videbo? putasne in Ordine isto durabo? Cum ergo mira cordis affectione verba illa frequentissimè diceret, audiuit vocem dicentem sibi: Tu me videbis, & in Ordine isto perseuerabis. Hoc autem exemplum pro Fratrum ædificatione, vt Dei adiutorium in omni necessitate requirerent deuotiùs, retulit Albertus Fratribus suis; non ignorans quòd scriptum sit: *Beatus vir qui confidit in Domino, & Jerem. 17. erit Dominus fiducia eius.*